

quot ex istorum genere ad infulas Ecclesiae Aquensis, ac totius dioeceseos gubernationem assumpti? Quot feuda, ac redditus beneficiario jure ab Ecclesia Aquensi non sunt consecuti? Quam partem non habuerunt in diversis Aquensium cum finitimis populis, ac praesertim cum republica Alexandrina concertationibus?

Quid si addam hosce omnes Marchiones unam originem in Aquensi provincia sortitos fuisse, ex eaque ad alias Subalpinæ ditionis provincias propagatos? Aledramum Sezzadii ortum, ibique educatum veterum Chronistarum, ac praecipue Jacobi ab Aquis sententia est (s. Georg. initio p. 4.): ab Aquensi Comitatu Saracenos debellasse, expulisse, ac virtute sua ne ultra nocerent prohibuisse, clari ac *ἡρωϊκώτατοι* scriptores Terraneus, et Durandus (*) tradiderunt. Omnia quae supersunt antiquissimorum Regum, et Imperatorum diplomata Aledramo concessa agunt de *cortibus* in comitatu Aquensi sitis, eique dono datis. In celebri Ottoniano diplomate, ubi ejus amplissimae facultates confirmantur, non solum inter primas recensentur illae, quae in *comitatu* Aquensi continebantur, sed ante omnia illi donantur omnes cortes, quae a *flumine Tanari ad flumen Urbæ* consistebant. Quis autem ignorat haec duo flumina quasi naturales, ac proprios esse inferioris comitatus Aquensis terminos? Praeterea ejus filii, ac nepotes duo in hac dioecesi monasteria Sezadii, ac Spigni (ad quam hoc olim oppidum spectabat) fundarunt. Quid plura? Nonne quidquid de gestis Aledrami, ejusque nepotum illustre, ac praeclarum novimus per centum, et amplius annos excepta Grassanensi donatione ex historia Aquensi, ejusque tabulariis petendum est? Quae cum ita sint, quis mirabitur monumentorum Aquensium collectorem et illud sibi sumpsisse, ut omnem diligentiam adhiberet in investigandis monumentis, quae ad horum Marchionum origines in maxima obscuritate positas, atque a nemine adhuc pro dignitate explicatas evolvendas conducere poterant?

Quod si paulo longius sim progressus, et complura ad Marchiones Monferratenses protulerim, causa in promptu est. Cum propter saevum, ac diuturnum Alexandrinum bellum, ac civium factiones reipublicae Aquensis vires admodum essent debilitatae, nec ad hostium suorum impetum sustinendum sufficerent, subito haec ad Guglielmum Marchionem Montisferrati, cui jam pridem foedere juncta erat, ea tempestate ditissimum, atque potentissimum Principem se convertit; quo factum est ut horum Marchionum familiae, cui fidem difficilimis licet temporibus perpetuo integram servavit, fortunam secuta fuerit; ex quo tempore hujus civitatis, ac multorum agri Aquensis oppidorum historia cum illorum Marchionum gestis conjunctam perpetuo videmus. Haec autem omnium civitatum, quae antea propriis legibus, ac jure suo utebantur, sors fuit, ut cum ad alienorum Principum Imperium pristina extincta libertate transierunt, vix quidquam praeclari, ac illustris habeant, quod cum illis non intime cohaereat. Quamquam si aliorum exemplis niti vellem, possem me recensitis, ac clarissimi Tridinensis historiae Patriae scriptoris auctoritate tueri, qui quaecumque

(*) Piem. Cisp. pag. 237. Pagina vero anteriori ex duobus diplomatis ab Hugone, & Lotario ann. 934. & 938. Aledramo concessis de bonis intra dioecesim Aquensem sitis conjecit Comitem civitatis Aquis fuisse, atque intra Urbam, & Tanarum ejus Marchiam positam fuisse. Coeterum quoad primum vide Mon. Aq. par. I. col. 10. lin. 8.